



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Quartum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. Idem (a) Bajonen. Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)



TITULUS VIII.

De conjugio leproforum.

CAPUT I.

Alexand. III. (a) *Cant. Archiepiscopo.*

PERVENIT ad nos, quod cum ii, qui lepræ morbum incurrunt, de (b) consuetudine generali à communicatione omnium separentur, & extra civitates & villas ad loca solitaria transferantur, nec uxores viros, nec viri uxores suas taliter agrotantes sequuntur, sed sine ipsis manere præsumunt. Quoniam igitur cum vir & uxor una caro sint, non debet alter sine altero diutius (c) esse, f. t. p. A. f. p. m. quat. si qui sunt in provincia tua viri, vel mulieres, qui lepræ morbum incurrunt, ut uxores viros, & viri uxores sequantur, & eis conjugali affectione ministrent, sollicitis exhortationibus inducere labores. Si verò ad hoc eos inducere non poteris, eis arctius injungas, ut uterque altero vivente continentiam servant, & si qui mandatum nostrum contempserint, eos contradictione & appellatione cessante vinculo anathematis constringas.

NOTÆ.

- 1. (a) *Cant.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 1.* & post Concil. Lateran. p. 37. cap. 2. *de leprosis.* De Cantuar. Ecclesia egi in cap. 2. *de rescriptis.*
- 2. (b) *De consuetudine.*] Apud Hebræos ex lege Moisaica relata *Leviti cap. 13. cum sequenti, Numerorum cap. 12. Paralip. lib. 2. cap. 26.* apud Catholicos ex generali consuetudine, cap. 4. *de Clerico egrotante, cap. 2.* ubi alia dedi, *de Eccles. edific.* in tantum ut nec manere intra urbes debuerint, sed extra earum portas in solitariis locis:

unde apud plerosque, *transportati* appellantur, ut apud Cassiodorum *lib. 10. epist. 30.*
 (c) *Esse diutius.*] Unde tenetur uxor sequi maritum vagabundum quocumque, si talis fuit tempore contracti matrimonii, & esse scivit, ut sunt histriones, & circumforanei, ut probant *Tiraquel. in l. 1. connub. num. 39. Osvaldus lib. 13. Parap. cap. 31. littera M.* & si mutet domicilium, omnino eum sequi cogitur, *Covarr. de matrim. p. 2. cap. 7. num. 7.* non obstante pacto, quo maritus cavet se non discessurum à domicilio uxoris, ut defendit idem *Osvaldus lib. 12. comment. Donel. cap. 21. littera B. & dicto cap. 21. littera M.*

CAPUT II.

Idem (a) *Bajonen. Episcopo.*

Quoniam nemini licet (exceptâ causâ fornicationis) uxorem dimittere, constat quod sive mulier leprâ percussa fuerit, seu (b) aliâ gravi infirmitate detenta, non est à viro propterea separanda, vel etiam dimittenda. Leprosi autem, si continere nolunt, & aliquam, quæ sibi nubere velit, invenerint, liberum est eis ad (c) matrimonium convolare. Quod si virum, sive uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus à sano carnale debitum exigit, generali præcepto (d) Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cui præcepto nulla in hoc casu exceptio invenitur.

NOTÆ.

- 1. (a) *Bajon.*] Ita legendum est, non *Bajorum*, sed legitur in prima collectione, *sub hoc titul. cap. 2.* & probavi in cap. super eo, tit. *antecedenti*, ubi extat alia pars hujus textus.
- 2. (b) *Alia gravi.*] Simili videlicet lepræ, quæ tamen illa sit, fuit pro expositione bullæ Pii V. quæ incipit, *Decoris & honestati*; quæ permitti-

tur certis in casibus monialibus egressus è monasterio, agunt *Gibalinus de clausur. regul. dist. 1. cap. 6. §. 1. Michael à Soto in tract. de infir. monial.*
 (c) *Matrimonium.*] Quod valet etiam si conjug ignoret conjugem leprosum esse, quia error circa salutem non irritat matrimonium. *Mauriquez different. quest. 201.*
 (d) *Apostoli.*] 1. *ad Corinth. cap. 7.*